



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

IX. Svnderoldvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

guem à suo proposito hunc Archipræsulem dimoventia. Argumento probatissimæ virtutis erat etiam Carolus Crassus postea Imperator, cum juvenis adhuc à dæmone arreptus tristissimum in modum est divexatus, nec alio adversus orci mala adhibito remedio, quàm solius Lindberti precibus liberatus. Idem Carolus successu temporis ob varia rerum capita, communi totius Imperij calculo exauthoratus, inter homines ferè neminem, nisi solum Lindbertum habuit solatorem reliquum, qui plenus meritis an. 889. diem obiit suum publica populi voce inter Beatos jam tum relatus. Sedit Moguntia annis 26. sub Pontificibus sex, nimirum Nicolao I. Hadriano II. Joanne VIII. Mariano I. Hadriano III. & Stephano VI. *Vide Reginonem, Annales Pitheanos, &c.*

IX. SVNDEROLDVS.

Sunderoldus ex Principe Monasterio Fuldensi in Moguntia Ecclesiam evocatus, trium annorum compendio absolvit partem vitæ reliquam: Normannis enim barbaris in Germaniam irrumpentibus, & ad Mosam fluvium maximè clades inferentibus, cecidit inter Christianos Duces Dux ipse & gregarius miles Archiepiscopus, qui accensus zelo Apostolico pro re Orthodoxa pugnavit, more Martyrum occisus ab hostibus Christo infensissimis: Unde inter Martyres Archipræsulem hunc à literis & virtutibus laudatissimum apertè numerarunt *Sigbertus & Trithemius.*

X. HATTO I.

Hatto aliis otto dictus, obscuro genere (*an in Suevia, an alibi incertum*) natus, naturæ tamen dotibus clarissimis instructus, in *Augia divite & Monasterio elvacensi Præsul,* multis præclaris inclaruit facinoribus, reprehensus ob id demum maximè, quòd claram nominis sui suorùmque famam solis aut syderis instar ful-

gens